

Coll
PRIMUS *S. L.*
IMPERII ROMANI
Annus,
Augustissimi Cæsaris
JOSEPHI I.

Fratto calamo adumbratus,
LAUREATO HONORI
ILLUSTRISSIMORUM
DOMINORUM

In Antiquissima ac Celeberrima
UNIVERSITATE VIENNENSI
PROMOTORE
R. P. SIGISMUNDO
PUSCH, è Societate JESU,
AA. LL. & Philosophiæ Doctor,
ejusdemque Professore Emerito

Supremâ Philosophia 
Condecoratorum, LYCEAI
A Condiscipulis Philosopho THE
NEO-DOCTORIBUS ^{ZU}
Dedicatus,

Die XIX. Augusti, Anno MDCCVI

Viena: Austria: Typis Joannis Georgii Schlegel.

*ILLUSTRISSIMIS
DOMINIS,*

D. MAXIMILIANO
Comiti de Dragoni,

D. JOANNI JOSEPHO
L.B. de Ugeszdt,

D. PHILIPPO LUDO-
VICO S. R. I. Comiti de
Franckenberg,

D. RUDOLPHO S.R.I.
Lib. Bar. de Walbott , &
Bassenheim,

Sacræ Cæsareæ Majestatis
Ephebis,

Augustissimâ Ejusdem Effigie
Donatis.

TAUREIS palmas, & oleas
innectimus, dum Auguſtissi-
mi Cæſaris JOSEPHI
Primi, primum Imperii Ro-
mani annum verè Auguſtum frāctō ad-
umbratum Stylo Laureato honori vestro
dedicamus. Decebat ſiquidem ut ferali-
bus cupressis, quæ primas Philosophia
Laureas in Magni LEOPOLDI occa-
ſu funestaverant, triumphales palmae, &
virentes ſemper olea succederent, quas
ad Sereniffimum ter Auguſti Monarchæ
ortum, aut Victor Gradiuſ messuit, aut
Clementia Aſtriaca decerpsit. Si displi-
cet Calami tenuitas, veniam merebitur
dignitas argumenti. Nil tantæ Majesta-
ti par, frāctō Stylo poterat his paginis con-
ſignari. Desudabit operioſius historia, quas
)(2 suos

fuos olim fatigabit Luvios, ut immortalita-
tis secura, semetipsam cum Augusti Trium-
phatoris gloria consecret aeternitati. Vobis
interim nil fucundius, quam Augustis-
fimi Solis radios etiam in umbra legere,
eius Majestati Studia Vestra, vitam, &
Sanguinem pridem devovisis. Vivite,
& favete

Laureato honori Vestro

Addictissimis Condiscipulis

Neo - Doctoribus
Philosophis.



TITULUS. I.

MAgno LEOPOLDO, die V. Maii,
feriâ III. Hydrope sublato, succedit
Augustissimus Coronarum Hæres JOSEPHUS I. qui sumpto prius Eucharistico
Epulo, Romanorum Imperator salutatur.

Attolle Germania verticem,
Et funebres absterge lachrymas,
Quas in Magni LEOPOLDI occasu
Atra nubes mœroris depluit.
Amisisti merlum in undis Solem,
Sed post funestæ noctis nubila
JOSEPHUS PRIMUS
Sol novus exoritur,
Qui vel ipso Augustus nomine
Majo debitam invehit serenitatem.
Feralem Martis, Mortisque diem
Auspicata dies Jovis sequitur,
Quâ exoriens Successor Monarcha
In Romani Imperii firmamento emicat.
Hyemem ulterius nè metue,
Ubi belli, & pacis gloriâ,

Crescens Majestas

Solstitio caret.

Ut ver imposterum habeas perpetuum,

Primam in cœlesti Ariete

Stationem figit,

Dum Imperii Zodiacum

Ab Agno Eucharistico incipit.

Genethliacus hic Magnitudinis

Austriacæ Horoscopus est ,

Sub quo mensis omnis

Aut bellicas inter laureas Martius ,

Aut paciferas inter oleas Majus erit.

Hostilibus tantùm terris

Ferrea tempestas imminet,

Quarum Flores

Viðtricium armorum grandine

Flans Auster prosternet.

Fœcundum Electorum frumento

Josephinum manipulum

Quidni minores spicæ

Submisso vertice adorarent ?

Ex illo viðtrices adoreæ germinant ,

Quas in fertilem gloriæ messem

Austriaca Bellona colligit.

Ad corpus istud

Cæsareæ congregantur Aquilæ

Ut auctis viribus

Ul-

Ultricia in hostes fulmina vibrent.

Felix Imperium!

Cujus fastigium Monarcha occupat,

Qui Exercituum invictus Ductor

Et laureatus Triumphator

Imperatorem prius, quam Cæsarem

Agebat.

Bis sua in Landavio Pergama

Objecit bellatrix Gallia;

Cui geminos inclusit Hectores,

Ut Achillis triumphos geminaret.

Urbem unicam

Vallis munitam, & paludibus,

Missilibus, ac subterraneis fævientem
ignibus

Inter aëris ferocientis injurias,

Dum Bellator Augustus obsidet,

Omnia vincit elementa.

Miles idem, ac Bellidux,

Dum inter fulminantium machinarum

Tonitrua

Pectus Regium periculis opposuit:

Hoc clypeo protexit Exercitum,

Et invictum reddidit.

Nec mirum;

Vigilabat pro Principe DEUS,

Quem in castris stationarium habuit.

Dum Eucharistico Numini

Tabernaculum erexit.

Hic nempe Panis

Bellicus est Martis Auctriaci comeatus.

Excubabat vicissim

Coram Numine Princeps,

Quod publicâ Religione sic coluit,

Ut Regem à grege

Non purpura, sed pietas discriminaret.

Rejectâ aulaeorum pompâ,

Et pulvinarium apparatu,

Dum nudam humum,

Prostratus in genua

Verè humili majestate premit,

Scipione felicior

Eandem in palmas,

Et laureas fœcundat;

Incumbenti tanto oneri

Tellus impar, succussa intremuit,

Et propugnacula fatiscere coëgit.

Regiam magnitudinem

Cum portarum angustiæ

Non admitterent;

Ut Victori referaret aditum,

Valla, & aggeres Bellona diruit,

Tam vastis undique rimis,

Cum hiarent moenia,

Ne

Ne sanguineo mergeretur naufragio,
Urbs cedere nescia fastum déposuit,
Et Marti ulti or cedere didicit.

Arrogantem

Cùm Victor Augustus posset perdere,
Servare maluit,
Ut una in Urbe geminum
Fortitudinis, & Clementiæ
Trophæum erigeret.

Quot munimenta eidem restituit,
Tot Amoris, & Timoris Regii
Monimenta posuit.

His saxis

Laureato in sculptam ferro
Augusti Triumphatoris Gloriam
Leget Posteritas.

Habet Landavium,
Unde novo se fastu erigat;
Quod non aliâ, quâm Regiâ
Captum manu

Ad pristinam rediverit libertatem.
Agnosce igitur tuam felicitatem,


Germania,

Cui gemino triumpho inclytus
Germanorum Cæsarum
Quinquagesimus Primus
Novum aperit Jubilæum.

Trepidate Regna hostilia !
Quibus in fatis est,
Ut radiis depositis Sol, & Luna
J O S E P H U M
Adorent.



TI-



TITULUS II.

Post oblatam frustra confederatis Hungariæ Magnatibus pacem, adsumum Danubio munimentum Pax à Cæsareo milite die XI. Junii expugnatur; Leopoldopolis in libertatem asseritur, & die XI. Augusti, profligatus in agris Tyrnaviensibus hostilis exercitus, à prætoriano Duce, Comite Herbevillæo, castris exuitur.

Annus idem,
Qui funebres cupressos in vere dederat,
Æstatem laureis virentem habuit.

Harum primitias
JOSEPHI Primi Gloriæ
Mars Cæsareus in Pannonia decerpit.
Displicere poterant,
Quod Austriaca Clementia
Oleas præ palmis diligat;
Nisi has æquissima Nemesis
Vindice mesquinisset gladio,
Postquam affuso oblatæ pacis oleo,
Belli fax amplius exarsit.

Ut ergo sui Majestatem Principis

Timere discerent,

Qui amare detrectabant,

Fulminatrices primùm aquilæ

Ad vindicandum Pacis munimentum

Advolârunt:

Septena hostium millia arcem
infederant,

Quam tueri poterant,

Nî foris ultrix Bellona,

Intus rea conscientia

Duplicatis tormentis

Propugnantes expugnâsset.

Vix tridui obsessa spatio

Pacis Regia

Dedignata Pacis osores incolas

Ad amantem Pacis Principem redivit.

Una, eadémque dies

Phæbō simul, & Phaëtonti

Solstodium attulit:

Dum retrograda in Cancro felicitas
decrescere cœpit.

Hâc sede pulsus armatus furor

Ut belli flamas alibi spargeret,

Ab Istro ad Vagum abiit,

Et vicinam sibi Moraviam

Ad fædera evocavit.

Spre-

Sprevere ignes fatuos,
Fideles Marcomanni,
Quorum Constantia
Feralia inter Patriæ busta
Aurea effulsit.

Quinimò Adamantinam dixeris;
Quæ repetitos inter ferri ictus
Infracta perstigit.

Non tamen id impunè tulit
Hostilis ferocia,

Quæ illata terris alienis incendia
Suo sanguine extinguere coacta est.
Grandi ambitu, sed grandiori temeritate
Leopoldopolim ausa cingere,

Id unum sapienter egit,

Quòd profundis delitescens in foveis,
Propius non accederet,

Nè fata gigantum sua clade renovaret.
Horruit nimirum fulmina,

Quæ Jovis atria

In sacrilegos invasores evibrant.

Ut suis è fossis latentes propelleret,
Vix gradum moverat,

Cæsaris Gradius;

Cùm solo terrore vieti obseffores
Præcipiti gradu aufugerunt.

Ita novo bellandi genere,

Quem necdum viderat hostem,
Solo tympanorum strepitu
Mars Austriacus profligavit,
Victorem militem,

Ab urbe liberata reducem
Suo confidens numero,
Hostium temeritas Ausa laceissere
Non tam bellandi, quam venandi
Campum aperuit.

Stabant sub Labaris

Quadraginta quinq; conjuratorū millia;
Sed vix primæ imminebant aquilæ;
Cùm sæpe tygridum sub exuviis
Lepores delitescere,
Fuga docuit.

Oëtingentis solùm in acie cæsis,
Ut imminentem cervicibus gladium
Reliqui pede celeriori fugerent;
Abjectis armis,

Munita bellicis tormentis castra
Victoribus spolium reliquerunt.

Pars inter Sylvas, & memora
Ad ferarum latibula abiit;

Pars Vagi hausta fluctibus,
Vitæ, & Famæ naufragium adiit;

Pars ad invias delata paludes,
Debitas suæ constantiæ palmas,

Arun-

Arundines collegit.
Pera&tâ campestri,
Jucundiorem inter aquas, & nemora
Venationem instituisset
Mars Cæfareus;
Ni destinatam aquilis victricibus prædā
Nox abscondisset.
Ne mirare,
Gentem fortissimam,
Iisdem cum Marte Incunabulis editam
Adversis cladibus atteri,
Cui primum bellorum præsidium
Æquitas armorum deest.
Trophæum isthic
Ex triginta æreis machinis
Et captis quadraginta vexillis
Milites Victores erigite,
Ac reportati triumphi diem,
Quæ mensis Augusti
Numerabatur undecima,
Clypeo inscrubite,
Nimirum:
Celebratus pridie Divus Laurentius
Tot reis incendiorum hostibus
Flamas intulit,
Et debitas Augusto Hungariæ Regi
Laureas porrexit.

TITULUS III.

Ex pugnatis minoribus in Italia munimentis fluviorumque pluribus jam superatis, sub Invictissimi Cæsar is JOSEPHI I. auspiciis, Gallorum Exercitus ad Cassanum cæditur die XVI. Augusti, & hac victoria Taurino imminens obsidio impeditur.

Belli theatrum Italia

Ut invictissimo Romanorum Cæsari

JOSEPHO PRIMO

Debitum tributum solveret;

Quas copiosè educat,

Laureas transmisit.

Has ille Sabaudus Hercules,
Germaniæ Ultor, & Galliæ Terror,
Inter Liliorum stragem
Eugenius collegit.

Decebat Augustum mensem,

Altero Cæfaris

Semper Augusti Triumpho

Augustiorem reddi.

Præcessere minora prælia,

Majoris præludia,

Quibus

Quibus devictæ alpes,

Superati lacus,

Et unācum fluviiis,

Plura jugum subierunt munita.

His nempe gradibus, Austriæ Gradivus

Semitam ad palmas erigit,

Quæ summo tantum

in culmine germinant.

Tandem arenam Martiam

Plusquam decumano Prælio

Dies Augusti

Ultra decimam sexta reseravit.

Suis illa auspiciis favebat

Quæ Virginis sidera ingredientis

Triumphum proxime secuta,

Depluas è cœlo palmas

Mariano Duci præsigiebat.

Sub laureato Imperatore

Affuetus victoriis miles

Plus bellicæ æstu gloriæ,

Quam Syrii calentis ignibus ardebat.

Ardorem hunc ut extingveret,

Hostilem sitiebat sanguinem,

Non aliâ, quam armatâ manu

Hauriendum.

Auro emant alii;

Suas Hectors Germani laureas

Ferro metunt.

Vix primi sonuere litui,
Cùm secundâ post meridiem horâ,
Secundis Aquilis hostis invaditur.
Stantem ad Cassanum Liligeram aciem
Aggeribus terra, alveis aqua,
Ventis aér, tormenta flammis,
Conjuratis scilicet Elementis natura
Undique muniens,
Securam fecit, tutam non reddidit.

Olympum ipsum
Videbatur traxisse in fœdera,
Pro qua Paradisi Arx
Tonitruis armata, & fulminibus
Decertabat.

Sed crevit ipsâ discriminum
multitudine
Heroa bellatorum virtus,
Quæ imbelles dedignata laureas,
Gloriæ magnitudinem,
Periculorum decempedâ
Novit mensurari.

Nec alveo, nec aggere prohibitus,
Victoriæ impedimenta virtute rupit
Mars Austriacus,
Ut obstantium aquarum meatus
Ardore bellandi crederes exsiccatos.
Tot

Tot inter valla securo agmini,

Fulminis instar,

Cladem citius intulit, quām terrorem;

Dum plura eorundem millia

Justo furori immolavit.

Ut ignes evaderet,

Semetipsam in aquas præcipitans

Gemina Francorum legio,

Victori Gradivo pontem

Suis struxisset è cadaveribus;

Nisi cæforum sanguine

Novus fluvio tumor accrevisset-

Erubuit ad stragem Addua,

Cujus horrorem

Indignantī fluctuum assurgentium

Murmure detestabatur.

Grandi palmarum messe onustus miles,

Non bellando, sed vincendo fessus,

Ne victoriæ opprimetur pondere

Triumphalem arenam

Hostili purpuratam sanguine

Iterum reliquit.

Victorum gloriam

Ne livor attollendo deprimat

Et Semi- Deos pugnâsse dicat,

Ipsos etiam Ducum Principes,

Eugenium Sabaudum,

Et

Et Josephum Lotharingum
Oportuit vulnerari.
Uterque Achille major
Quam declinare poterat,
Pari gloria, sed sorte dispari
Plagam retulit.

Hæc novam illi Virtutis Heroicæ
Insculpsit tesseram;
Istius magnæ animæ,
Ad Sidera aditum referavit.
Invicta fortitudine,
Ipsius mortis invidiam contrahens,
Cùm in florentis ætatis vere
Jam satis vixisset gloriæ,
Non tamen Reipublicæ;
Id unum doluit,
Quòd mori sæpiùs
Pro Cæsare non posset.

Geminos Duces
Quidni Castorem dicas, & Pollucem,
Quorum alter in astris emicans,
Immortalitatem possidet;
Alter in castris prælians
Eandem meretur.

Ut nomen utriusque Fama
Triumphalibus Fastis inferat;
Non alio quām Heroum sanguine

Mi-

Minio indiget.
Plausit interim sibi Gallia,
Quod ita victa sit,
Ut amplius vinci possit:
Applausit Sabaudia,
Quod imminentes Taurino flammis
Cruento imbre
Mars Austriacus suffocârit.



TI-



TITULUS IV.

Peractis Augustâ Magnificentâ, Magno
LEOPOLDO funebris; Augustissimo
Cæsari JOSEPHO I. Archiduci suo, debitam
fidem Austria, die XXII. Septembris, publi-
ca inter Solemnia Juramento obstringit.

Nuper dolorum,
Nunc gaudiorum nuntiæ
Austriacæ Alaudæ surgite,
Et clangentes inter aquilas,
Altiùs evolate!

Non lessum amplius,
Sed lætum Pæana canite;
Duni post atra veris nubila,
Serenior Autumnus emicat.

Irriguum tot imbribus Majum,
Uberrimo tandem gaudiorum fructu,
Lætissimus September vindicat.

Depone luctum Austria,
Et pulsâ nocte
Concolorem tenebris pallam exue.

Ut Auroræ æmula
Candidissimæ diei ortum,
Nati-

Nativo colore exprimas,

Purpuram assume.

Substitue taxo lauream,

Cedrum cypresso,

Et ferale Libitinæ feretrum
In curules verte triumphales.

Post funesti mæroris funalia
Publicæ lætitiæ indices,

Ignes festivos excita,

Et clausis Mausolæ foribus
Capitolium reclude,

Ut Augustissimus Archidux,
JOSEPHUS PRIMUS

Solum avitum scandat.

Succedit nempe Hercules,

Qui fesso ab Atlante depositum
Austriacum orbem fulciat,

Habes ruituræ nunquam,

Felicitatis columen

Quam gemino Amoris,

Et Timoris brachio

Invictus Alcides sustinet.

Tot annorum votis

Ad divæ Annæ Solemnia

Indultus Princeps,

Quidni populos

In amorem traheret,

Cui

Cui ipsa Gratia Lucinam egit?

Sub Leonis asterismo natus
Quidni hostes timore percelleret,
Cui Regales iras Sidus afflavit?

In medio bellorum turbine
Ad victorias genitus;
Non aliam, quam Martis diem
Natalem habuit:

Ut diem Lunæ in nocte in verteret.
Quas clades olim intentaret æmulis

Vix natus prodidit:
Cum insertum ori digitum
Minax momordit.

Hinc arma illicet
Hostilis Bellona posuit,
Et conclusa Neomagi pace
Tranquillitatem pristinam
Europæ reddidit.

Sola perfidia seditionem alebat,
Ne parvo Herculi viperæ deessent,
Quibus fauces ludendo elideret.

Quid mirum,
Quod nutrice gloriâ
Educata inter discrimina virtus
Præverterit ætatem.

Vix decimum annum attigit,
Jam parem Hydræ Ottomannicæ
Dextram

Dextram agnovit Hungaria,
Dum Coronam hæreditariam obtulit.
Felicitatem hanc,
Ne diutiūs Pannoniæ
Invideret Germania,
Altero statim anno
Imperii Augusti fasces
Augustæ obtulit.
Affurge igitur felix Austria!
Et primi quondam Augusti natalibus
Auspiciatam diem,
Archiducis Ter Augusti
Publicâ inauguratione consecra!
Cinge patrio diademeate verticem,
Cujus invictam galeam
Gallia bis victa trepidat,
Et Asia vincenda timet.
Augustis humeris impone purpuram,
Quam fuso hostium sanguine
Victrix Bellona tinxit.
Dexteræ Sceptrum infere,
Quæ tumidos in Gigantes
Fulmina librare didicit.
Gladium laureatum præfer,
Quo foedera iniqua scindet,
Et implicatiorem Gordio nodum
Alexander solvet.

Adest

Adeste Proceres !
Quam tacito fovistis pectore ,
Juramento publico fidem stringite;
Nunquam magis futuri liberi ,
Quam adamantinis vinculis ,
Aureo Principi æternum devincti
Occurrite Cives !
Et amabili horrore armati
Stipate latera Principis ,
Quem junctus AMORI TIMOR
Ad solium deducit.
Clangite triumphales Buccinæ !
Resonate mœnia !
Et festivo tormentorum fragore
Gaudia civibus , terrorem hostibus
Nuntiate.



Transylvaniā propemodum oppressa eri-
gitur, dum viginti quinque hostium
millia, qui ductis aggeribus alpes clauerant,
a Cæsareo Exercitu, Ductore Comite de Her-
beville, die XI. Novembris insigni clade
profligantur.

TITULUS V.

Transylvaniā propemodum oppressa eri-
gitur, dum viginti quinque hostium
millia, qui ductis aggeribus alpes clauerant,
a Cæsareo Exercitu, Ductore Comite de Her-
beville, die XI. Novembris insigni clade
profligantur.

Augustissimi Cæsaris
Geminatas mense Augusto laureas
Suis mense Novembri decimis
Dacia cumulavit.

Ut has colligeret;
Inter hiantes alpium angustias
Amplissimum vincendi campum
Mars aperuit.

Grandem ne mirare victoriam:
Pusilla esse non poterat;
Quam obstetricante fortunâ Cæsar is,
Et virtute militis,
Montes pepererunt.
Rupium fauces hostis infederat,
Ut intercluso suppetiis aditu ,

Fa-

Facultatem respirandi demeret;
Et præfocatæ Daciæ,
Quâ solâ vivebat,
Eriperet libertatem.

Novi Gigantes convallia fossis,
Montes aggeribus auxerant,
Quos ignem eructante metallo
Undique munitos
Annon castra Phlegræa dixeris?
Adjecerat suas Gallia suppetias,
Quæ mille Funditores miserat,
Ne sulphurea spargens incendia,
Centimanus Briareüs desideraretur.

Sed eorum experta fatum,
Quorum facta æmulari decreverat
Impotens ambitio,
Vindice prostrata fulmine,
Infamâ cladis
Loco attulit nobilitatem.

Vix moles superba steterat,
Cùm ministros inter fulminum alites
Bifultor Gradivus aderat!
Quot Belliduces, tot Alcides
Gigantum Domitores acies habebat.
Resolutum in pluvias cœlum
Quibus imbri sanguineo præluserat,
Mox faciem sereniorem induit,

Ut

Ut heroa Bellatorum virtus
Solem haberet spectatorem,

Contemptâ loricâ,

Quam ferrum dederat,

Solâ munitus constantiâ miles
Nudum pectus telis opposuit:

Firmior sanè,

Quam ut grandine plumbea

Ab aurea gloriæ temita

Posset deterreri.

Asperitate rupium, virtutem acuens,

Vallis, aggeribusque ruptis,

Munimenta hostium

In suæ vertit fortitudinis theatrum,

Dubitaveris tamen,

Cædem, an pugnam dixeris,

Ubi sena peremptorum millia

Quas struxerant foveas,

Cadaveribus impleverunt.

Pars quarta conjurati exercitus,

Ferro periit,

Ut non certasse,

Sed poenam à fontibus exegisse

Victor miles videretur.

Profligati cæteri,

Grandiores triginta ex ære machinas

Gravia nimium fugæ impedimenta,

B

Et

Et sexaginta vexilla,
Levitatis insignia reliquerunt.
Affecuta fugaces
Insequentium celeritas,
Ferrum, quod manibus eripuit,
Pedibus injecit.
Captus Christianissimi Regis
Ad Apostolici Regni
Proceres Legatus,
Splendore nominis
Auxit victoriæ claritatem.
Sic anseribus cæteroquin solis
Funesta dies,
Etiam Gallis cruenta accidit.
Inauspicata sanè arma
Hostes deponite;
Quæ avibus adeò sinistris geritis,
Dum bellum Aquilæ movetis.
Discite justitiam moniti,
Et non temnere Divos,
Postquam Cœlites vestri indigetes;
Pro Cæsare vos cædunt.
Quos undecimo abhinc mense
Lapidaverat Stephanus,
Quos undecimâ Augusti die
Ufferat Laurentius,
Hos undecimâ mensis undecimi die,
Plus-

Plusquam decumanā clade
Quondam Pannoniæ miles
Et Galliæ Antistes
Profligavit Martinus,
Triumphate milites,
Et nomen pristinum Novembri tollite,
Quem Martia virtus
Sub fortunato
Præfulis cognominis omne
Martium effecit.
Insculpite lemma rupibus:
ALPIUM CLAUSTRA
IGNE, ET ACETO HANNIBAL;
FERRO, ET SANGUINE
MARS AUSTRIACUS RECLUDIT.





TITULUS VI.

Superatis alpium claustris Victor Exercitus Transylvaniam ingreditur, ubi Claudiopolis die XV Novembris, prima claves Augustissimo Cæsari offert. & exigu tempore universa Dacia, ad pristinum obsequium adducta recuperatur..

Quidni vinculis solutum verticem
Suo Vindici inclinaret Dacia,
Qui alpium catenam
Ferro rupit,
Ut auream captæ redderet libertatem?
Nemo rupes sterilitatis arguat,,
In quibus nata victrix Laurea
Tam citò adolevit.
Rigente etiam hyeme ,
Paucarum dierum spatio,
Transsylvania tota
In sylvam Victoriarum abiit.
Cæsar is invicti gladius ,
Nec cæsis quidem faxis ,
Hebetari poterat,
Quominus Laureas victrices meteret
Quan

Quanquam potius oleas dixeris,
Ubi Mars Augustus cassidem exuit,
Et domitas solâ clementiâ urbes
In fidem recepit.

Prima Claudiopolis

Clausas hosti fugitivo januas
Cæsareis aquilis ultroneè reclusit,
Quod viventi non poterat,
Præsttit obsequium posthumum
Leopoldo Cæsari
Dum ad festivam Nominis diem
Augustissimo Hæredi
Fasces submisit.

Æmulabantur obsequium urbes aliæ,
Et quas præcipiti nimium fuga
Hostis perdiderat,
Certatim claves deferebant.
Maluere scilicet
Hospitem quam hostem
Martem Austriacum experiri,
Paucas cunctari ausas
Ad debiti obsequii genus
Magistra morum
Fames adegit.
Hæc scopulis, sylvisque suis
Efferatos animos
Mansuetiores reddidit,

Et cicures effecit.

Unico expugnatis tormento oppidis,
Unicum pertinaciæ tormentum erat,
Quòd tardius clementiam senserint,
Quàm citius poterant experiri.

Arces aliquæ

Propugnaculis eversis dirutæ,
Ut destructo in rupibus nido
Harpyiæ trans alpes avolarent.

Referatis igitur urbibus

Jani Januas Bellona clausit,
Ut pacis templum aperiret,
In hoc ad aram fidei

Legitimo rursus Principi
Se Dacia devovit.

Ambitiosa videri poterat,

Quæ non aliud

Quàm Augustum caput habere voluit,
Ut suis celsiorem rupibus

Verticem attolleret,

Adesto Mulciber!

Et conflatas belli machinas

In colossum erige,

Cujus basi

Hanc aureis litteris Epigraphen
Fama insculpat,


Sub

SUB
GLORIOSISSIMIS AUSPICIS
JOSEPHI PRIMI
AUGUSTISSIMI CÆSARIS,
PII, JUSTI, FELICIS,
VICTORIS, TRIUMPHATORIS,
Incomparabili fide,
Et constantia singulari,
Comitis RABUTTINI
Transsylvaniae Gubernatoris,
Intercluso suppetiis aditu,
Ad conservandas
Sub aureo Principe
Militis præsidiarii reliquias,
Argentea Domus ornamenta
Largè dividentis,
Nec non invicto robore
Et Martia virtute
Cæsarei Exercitus;
Prætoriano Duce
COMITE HERBEVILLÆO
Obsessa alpium claustra
Cæsis conjuratorum XXV. MILL.
Et ereptis XXX. Machinis
Iterum recludentis;
Hunc colossum,
Ut latius videretur,

In summis Montium jugis
Soluta jugo Dacia
INVICTISSIMO suo VINDICI
Ex ære captivo posuit
DISCAT AMBITIO AUGUSTO CEDERE
Cui ALPES PROCUMBUNT.



TITU-



TITULUS VII.

Ut acceptam in Dacia cladem ulciscetur hostis, Regiam Hungariae Urbem Sopronium obfitione cinctum a die XXIV. Decembris ignibus infestat, sed invicta ci-vium constantia, & militum virtute repulsus, die X. Januarii accensis castris tur-piter recedit.

Accensam belli facem
Nec suis quidem nivibus
Inimica Bellonae hyemis
Poterat sopire.

Decrescenti flammæ
Novum rufus alimentum addidit
Hostilis furor,
Ne extinto bellandi ardore
Mars frigeret.

Quam cæca est ambitio,
Quæ victoriam in Dacia perditam
Tot accensis facibus
In Pannonia querit!
Cùm minores tædæ
Propulsandis hybernis tenebris

Non sufficerent ,
Ut rogum majorem accenderet ;
Infestis ignibus
Sopronium invasit.
Crediderat hoc incendio ,
Triumphantis nuper
Austriaci Martis gloriam ,
Aut extingui posse ,
Aut offuscari .
Acceptam mense Novembri cladem ,
Vindicaturus in Decembri ,
Eodem tempore ,
Quo sol Capricornum adiit ,
Adverso ariete
Urbis mœnia quatere cœpit .
Natæ mundo pacis nuntium ,
Ne audire cogerentur inviti ,
Qui pacem oderant ;
Machinarum bellicarum fragore
Sibi aures obtuderunt .
Prima ferocientibus Leopardis
Ignivomos inter colubros
In Monte Leonardi statio .
Novum Vesuvium exarsisse dices ,
Qui feralia eructans incendia
Supremum excidium minaretur .
Primam stragem accepere suburbia
Qui -

Quibus flammæ hæc procella
Sacram Deo nascenti noctem
In funestam cinerum diem vertit.

Ut lassatus furor
Exhaustas vires iterum colligeret,
Signa tantisper retulit.

Timuisse credas;

Ne profanatâ principe festorum die.

Sacrilegii reus
Rursus à Stephano lapidaretur.

Vix se impunem viderat,
Atrociorem tempestatem coquens
Ad pristinam stationem rediit.

Cùm portas ferreas
Ferreâ solùm clavi
Reserandas sciret:
Eâdem die,

Quâ Janus annum aperit,
Ferratâ cinctam acie
Urbem clausit.

Adhuc fumantia ædium busta,
Ut penitus extingueret:

Sparso missilium flamarum imbre
Nova incendia excitavit.

Immani grandine
Quassata civium tecta,


Sed inconcussa fides, & constantia

Neutiquam eversa,
Fatiscentibus tandem muris,
Ut urbem Regiam
Regalibus auspiciis caperent:
Consecrata Tribus Regibus die,
Trino agmine mœnia invadunt,
Ne dux itineris Stella deesset,
Excussus in altum globus
Igneam trahens caudam
Affilientibus præluxit.
Haud alio sidere debuere dirigi,
Qui non Aurum, Thus, & Myrrham,
Digna Regibus dona,
Sed ferrum, sulphur, & picem,
Orci munera deferebant.
Infausti ominis cometam dixeris,
Qui Majestatis Regiæ
Contemptorem Fastum
Ad præcipitia deduxit.
Summa mœniorum fastigia
Temeritas attigit,
Ut in subjectas deturbata fossas
Graviori casu allideretur.
Ita vindices senserunt Reges,
Quos scelerum auspices
Impiè sperabant.
Tam cruentâ clade

Attri-

Attritus furor
Ignem propriis castris intulit,
Ut inustam sibi infamiam
Sub cineribus sepeliret.
Idem incendium,
Quod hosti lachrymas,
Fumo elicuit;
Inviictæ civium fortitudini
Ad immortali's famæ
Gloriam illuxit.
Quid Spartam jactas Græcia?
Etiam Regiæ Soproniensium urbi
Civium pectora
Pro muro sunt.





TITULUS VIII.

Tumultuantium in Bavaria rusticorum
Exercitus, dum felici terreritate urbes
complures occupat, tandem ipsam Ducatus
metropolim, Monachium invadit; sed
eruentâ clade à Cœsareo milite, Ductore L.
B. à Kriechbaum, die XXV. Decemb. pro-
fligatur.

Dum pacem terris nuntiat Angelus,
Mars Boicus bellum intonat.
Rusticum fuisse ne dubita,
Qui missum cœlitus
Legatum non audit.
Ab armentis igitur ad arma,
A rastris, ad castra
Martiales Mopsi convolant.
Dum nato pacis Principe
Deberent gladios confiare in vomeres;
Falces in enses acuunt,
Ut palam ostenderent,
Se homines non esse
Bonæ voluntatis.

Fra-

Fratres Cadmæos dixeris,
Quos obstetricante stivâ
Tellus fulcata genuit.

Ex Draconis prodiisse dentibus,
Si aliunde nescias,
Seditio ostendit.
Id solum defuit,

Quod armato in bella furori
Debita auspicia

Non Pallas, sed Pales dederit,
Crescentibus indies castris,

Divisum in manipulos agmen,

Quibus fœnum præferri debebat,
Insignita leonibus vexilla erigit.

Crediderant scilicet,

Immani harum belluarum rugitu
Fulminatrices Aquilas

Posse terreri.

Ne truncus exercitus

Capite careret;

Affuetos Galeæ Duces

Bellona dedit,

Cum rigente hyeme

Casas æquè ac castra fastidirent,
Conjuratis viribus urbes obruiunt;

Ne usitato amplius scommate
Inurbana Rusticitas diceretur,

Nobiles sancte negare non ausis,
Qui Arcadum æmuli
Veterem jactant
Cum quercubus affinitatem :
Nisi generosos stipites
Herculeæ agnatos clavæ
Malis autumare.

Felix temeritas videri poterat,
Quæ excussum suo vertice jugum
Pluribus munimentis imposuit,
Nisi eadem
Majori infamiâ perdidisset.
Congestis undique spoliis
Intumescentem ferociam
Cùm urbium minorum angustiæ
Non amplius caperent ,
Amplissimam Bavariæ metropolim
Invadere statuit.

Hoc nempe Capitolium placuit,
In quo vocati ab aratro Consules
Manubias deponerent ;
Et cæso Magistratu Cæfareo
Calcatisque Augustis Fascibus ,
Novi Quirites
Rusticam erigerent Dictaturam.
Ut digna tenebris perfidia
Tutior lateret ;

Ean-

Eandem noctem,
Quam nascentis DEI cunis
Pietas consecrat,
Sacrilegâ cæde impiare statuit.
Prô quantum

A Bethlehemitis ovium custodibus
Bavari Pastores discrepant!

Erravi,

Etiam hi insomnes erant,
Et custodientes vigilias noctis,
Super gregem suum.

Cùm medium ergo silentium
Tenerent omnia,

Infestis repente signis

Venerunt festinantes;

Ut Christi fascias

Sanguine perfunderent,

Et natalitia inter solemnia

Cæsareo militi

Cruentum canerent matutinum.

Sed deprehensa,

Sub pastoritia larva,

Plusquam Lupina rabies,

Exclusa à Præsepi,

Et undique ferreâ indagine cincta

Quæ aliis minabatur vulnera,


Cæsa pertulit.

Qui

Qui muntium pacis Angelum,
Audire noluerant,
Hos facta subito multitudo militiae,
Illata trium millium clade,
Bellonæ victimas immolavit.
Ne metue;
Festivam Diei Pompa
Cruenta strage profanatam:
Non potest
Superis gratior Hecatombe cædi,
Quam ubi ferro vindice
Perfidia cadit.



TI-



TITULUS IX.

Cæso iterum, ac profligato die VIIIL
Januarii seditiosorum exercitu, Du-
ctore eodem Excellentissimo D. L. B. à
Kriechbaum, tota Bavaria ad debitum Au-
gustissimo Cæsari JOSEPHO I. obse-
quium reducitur.

Quam ferè Phryges sapiunt
Qui tantum plagis
Et quidem geminatis
Eruditi sapiunt!

Attritam palmari clade
Tumultuantium perfidiam
Nondum tamen sopitam.

Nelcio, an stolidam potius dixeris,
An pervicacem?

Quos calcare tentaverat
Cæsarcos fasces,

Securi vindice armatos senserat,
Et neandum sapit.

Inter Bacchi æstuantis orgia
Geminato furore ebriam

Credi-

Credideris insanire.

Videri poterat

Fracta turbæ ferocienti cornua,

Bicorniger Evan

Iterum reddidisse :

Ni suspicari malis

Fulgente in Capro sole

Eidem nova succrevisse.

Quis credidisset,

Quod præter Leonis astrum

Etiam frigidum Capricorni sidus

Martialibus flammis ardeat?

Perstrepente iterum classico

Septena conjuratorum millia

Ad castra confluunt;

Ut Bellonam inter & Bacchum

Hymenæum celebrent.

Aciem in agris explicant,

Ne rigente etiam hyeme

Sua iis lolia deessent,

Vexilla erigunt,

Ut ventorum ludibria

Repentino irruens turbine

Auster prosternat.

Æneas in fronte machinas collocant,

Quæ scilicet bruto fulmine

Armigeram Jovis alitem

Ter-

Territam propulsent.

Post funestam

Ad Pergama Monacensia noctem

Auspice Regali sidere

Diem expectant Sereniorem.

Sed infelices Astrologi,

Quem Phosphorum speraverant,

Feralem sibi Hesperum

Sunt experti.

Hic nempe supremum

Hucusque dominanti perfidiæ

Occasum attulit.

Vix Mars Cæfareus

Infestis signis aderat,

Cùm solo armorum fulgure

Exterriti Duces,

Ut imminenria declinarent fulmina,

Fulmineis ocyis alis

Auffugerunt.

Trunca sine capite acies

Nihilominus stare conata,

Cùm Gradivo vindici

Arma submittere nollet,

Promiscuâ cæde

Iugulata procubuit.

Nonnulli è castris.

Ad casas profugi,

A-

Armatum ferro militem

Grandine plumbea irritare ausi;

Illato tectis incendio,

Post Bacchi hilaria

Senserunt diem cinerum adesse,

Pauci exitio elapsi,

Quam manibus tueri nequiverant,

Salutem pedibus quæsiverunt.

His timor alas addidit,

Ut versi in Mercurios truncū

Cladis nuntium sociis referrent.

Quis non stragem Iunocentū diceret,

Ubi tot victimæ

Pro Emmanuele occumbunt?

Sed defuit Herodis mucro

Et ferro vindice perierunt illi,

Qui Christum Domini sunt persecuti,

Martyres tamen vix negaveris,

Quos tormenta canonizârunt.

Crevit horum sanguine

Multitudo fidelium

Dum pertinaces cæteri

Ad debitum obsequium reducti

Legitimum Dominum

Didicerunt adorare;


Nam exiit edictum à Cælare Augusto,

Et ibant omnes,

Ut

Ut profiterentut singuli
In suam civitatem.
Referatæ illico
Pacem Evangelizantibus januæ
Dum urbes singulæ
Ereptas Perfidiæ claves
Supplices detulerunt.
Gloria igitur in Excelsis Deo,
Et in terris Cæsari,
Cujus Clementiæ debet Bavaria,
Quod tormentis libera
Non amplius Martyres habeat,
Sed Confessores.





TITULUS X.

Incarnati VERBI Nutritio, Divo JOSEPHO, Austriæ Tutelari, Augustæ molis Colossum à Magno LEOPOLDO Cæsare voto promissum, Augustissimus Imperator JOSEPHUS I. in alto Urbis Vienensis foro erexit, & die XIX. Martii publicâ solennitate consecravit.

Ut Augustam coronidem
Primo Imperii Römani Anno
JOSEPHUS PRIMUS
Semper Augustus imponeret;
Augustæ magnificentiæ molem
Incarnati VERBI Nutritio
Verè Augusto posuit,
Adesto Viator,
Et superbo culmine
Assurgentem in sublimia tholum,
Quem Virginei Conjugis
Coronatæ Humilitati,
Davidis Hæres, Salomon erexit,
Venerabundus admirare.

Hic

Hic Pariis suffultum columnis
Augustale panditur.

Quod ab illibatis Sponsorum nivibus
Candorem dixeris attraxisse,
Non alio certè,
Quàm nativo Margaritis colore,
A Cypria immunis fuligine
Conjugalis unio
Exprimi debebat.

In Augusti Sacrarii centro
Par nobile Sponsorum emicat;
Ut, si ullibi,
Hic certè virtus
In medio consistat.

Dum Virgo Maritus, Sponsæ Virginis
Cœlibi conjugatu,
Et conjugali cœlibatu jungitur;
Non poterat castus Hymen
Ectypo vivaciore exprimi,
Quàm ut statuæ nuberent.
Cùm illas immotas conspicis;
Ad tantæ demissionem Virginis
Sponsum stupore attonitum,
Ad tanti modestiam Conjugis
Virginem admiratione defixam
Credideris obriguisse.
Utriusque verecundiam

Ipsum silentium loquitur,
Quo statuæ obmutescunt.
Infractæ constantiæ robur,
Adversis toties procellis
Nunquam concussum
Æs illud, quo rigent, exprimit.
Nobilium animorum pretium
Ex auro collige,

Quo virgineæ effigies radiant.
Molis Augustæ latera
Hinc Puritatis, Humilitatis indè
Simulachra stipant,
Quas nempe Pronubas
Cœlestis Hymenæus habuit.
In nivei tholi fastigio
Lilia florent,

Sed aurea,
Et vel ideò, inter ignes illæsa.

Ver illud aureum nubes obumbrant
Sed pariter aureæ;
Ut repercuſſo radiorum fulgure
Sereniorem lucem umbra accendat.
An alios, quām imbræ aureos
Ab hac nube Austria expeſet?
Supremum denique apicem
Diffusis circum radis
Divinum illud Tetragramaton illustrat,

N e-

Neque alias,
Quam Solis radios
Virginalis Hymen ignes habuit,
Qui fumum nescit.
Tam alti fastigii moles
Altum forum consecrare debuit,
Quod alti nomen ab illa duceret,
Si nondum haberet.
Quidni ætatem auream,
Et ver perpetuum
Ominaris Austria?
Dum eadem die
Quâ sol sidereum arietem adiit,
Hunc Divo Tutelari colossum
Augusta Pietas consecravit.
Da Magne Patriarcha veniam;
Rigidiorum ære putabit Austria,
Nisi tot expetitum votis,
In Cæsareæ Domus columnæ
Pretiosiorem auro
arChIDVCeM
Largiaris.

F I N I S.